



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm  
Tomvs ...**

**Łęczycki, Mikołaj**

**Antverpiae, 1650**

Tertia causa est, status rerum humanarum talis, in quo nulla est res, nulla actio, quæ à maligna mente & lingua condemnari non possit. Cap. III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78821)



16. Quod cum Superioribus Ecclesiasticis fecit Deus, idem eum temporalibus. Quare B. Theodoretus q. 16. in 2. Reg. Cur filium David recens natum mori voluit Deus? Respondet: quia vivus fuisset argumentum sceleris David ex Vriæ vxore eum habentis. Pij ergo Regis & Propheta sui curam gerens, non fuit eum vivere, ne daretur occasio iudiciis, etsi veris, finistris tamen, & sermonibus Nam Sap. 4. 6. dicitur: *Ex iniquis somnis (id est concubitu) filij qui nascuntur, seles sunt nequitia adversus parentes in interrogatione sua.* Eodem itylo vltus Rex Salomon: quamuis à David occisi Vriæ homicidium esset manifestum, & Deus nollet ædificari ab eo templum, quia vir erat sanguinum 1. Par. 22. 8. cap. 28. 3. quod etsi de iusta effusione sanguinis in bellis iustis potuit intelligi, vt intelligit Procopius Gazecus in 13. Reg. & Diodorus apud Lippom. in caten. in ex. 15. præsertim eum Davidis iniusta effusio tantum semel contigerit 3. Reg. 15. v. 5. & iusta frequentius. Vnde de hac maior erat ratio id dictum à Deo cogitandi: tamen quia id poterat cogitari, etsi verè, de peccato eius, noluit Salomon, etsi iam notum, immò redundans in reuerentiam & commendationem templi futuri, apud Hiram gentilem conciliandam occultauit, sed aliam causam scripsit ei, scilicet occupationes bellicas 3. Reg. 5. 3. Sic Deus eum purgat 3. Reg. 15. 5. *ed quod fecisset David rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus que præceperat ei cunctis diebus vite sue, excepto sermone Vriæ Hethai.* hoc est, excepto adulterio cum vxore Vriæ, & homicidio Vriæ. Vbi nota. Non vocat homicidium, non peccatum, non opus, sed sermonem; quia verborum peccata, ceteris paribus, sunt leuiora quam operum. Deinde non dicit sermonem Bethsabee, etsi per eam sæpius Deum offendit, eum tantum semel per Vriam, semel occisum, quia illud poterat magis confundere Dauidem Sanctum Domini Prophetam, quam homicidium, quod in homine bellicoso non ita videtur hominibus sædum, vt luxuria in Sancto homine.

17. Quod Deus fecit, hoc & Christus, filius eius fecit in hac materia. Vnde de eo dici potest, etiam quoad hoc, lo. 5. 19. *Non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.* lo. 8. Adducitur Christo in adulterio deprehensa v. 3. idque in templum, coram omni populo, qui scandalizari poterat ex coniuuentia Christi; præsertim quia Pharisei citarunt legem ex Leu. 20. 10. de tali lapidanda latam: præsertim quia faciebat eos querere, quid cum illa esset faciendum, tentantes, vt possent accusare eum v. 6. præsertim cum perseverarent interrogantes eum v. 7. *tunc Iesus cepit scribere in terra digito, quid eorum muniter dicunt, maxime S. Hieronymus in Comment. peccata Sacerdotum,*

qui eam adduxerant, eius peccatis maiora, Scripsisse, vt ea legentes, vt erant curiosi inspectores Christi factorum, confunderetur, & ab ea etsi reâ, tamen accusandâ desisterent. Cur non dixit eis peccata exterius? ne eos infamaret: cur nõ scripsit in parete, vel loco alto, ne viderent alij, sed in terra, vt illi soli qui mulierem circumdederant, tantum viderent, & desisterent à condemnatione, etsi mala & reâ, tamen malo animo factâ: & cum illi insisterent interrogantes. Christus iterum scribebat volens eos vincere suâ patientiâ. Nota duo quæ postea subsecuta sunt.

18. *Primo*, quia omnes, etsi fuerant multi (nam omnis populus eo venerat v. 1.) exierunt vnus post vnum, & notat S. Euangelista quod primum Seniores, qui eam accusabant exierunt, ipsi instigatores primum cesserunt: ita vt solus Iesus cum solâ manserit. *Secundo*, absoluit eam dum esset sola, quia cum dicturus esset: *Mulier vbi sunt qui te accusabant?* nec hoc voluit dicere ad illam coram alijs, ne etiam indirectè, peccati ob quod erat accusata, faceret mentionem. Deinde cum eâ solus remanere voluit, quasi concilians ei vii honestæ, authoritatem & non suspectæ; tandem ait: *Nec ego te condemnabo, vade & iam noli amplius peccare.*

En, si Christus peccatum publicum, probatum, in templo &c. textit, confundens iudices veros, sed inordinatos, quid faciet iis, qui leuia, incerta, occulta, falsa iudicant cum damno eorum? Nolimus ergo esse Christo meliores, & magis iusti, sed eo corde, quo Deus nostros defectus videt, aliorum defectus, si qui sunt, aspicimus, non condemnando eos temerè, excusando eos dum possumus, vt in die iudicij misericordiâ apud iustum Iudicem nostrum omnium inueniamus.

CAPVT TERTIVM.

*Tertia causa est horum iudiciorum fugiendorum.*

19. **S**tatus rerum humanarum, qui eiusmodi est, vt non sit vlla res, vlla actio, vlla persona tam perfecta, & Sancta, quæ non possit condemnari, si homo velit suo iudicio & censura laxare habenas, & non conuertere res in bonam partem. *Vix aliquid, inquit S. Bonaventura in apolog. quæst. 6. sit tam purè, quin possit ab aliquo sinistrè interpretari, quasi malè fiat.* Et vt res hæc quasi à fundamento explicetur, ponderanda sunt variae actiones variorum Sanctorum, de quorum Sanctimoniâ nullus esse potest apud nos dubitandi locus. Vnum tantum commendando lectoribus huius Opusculi, vt quando actiones Sanctorum non dignas vituperatione referam, quæ à temerariis hominibus im-

probat



- probari possent, reflexione quâdam, reuocent sibi in memoriam alias similes actiones aliorum, qui solent interdum simili censurâ iniustâ à temerè iudicantibus notari, & tanquam vitiosè improbari, vt ita discant corrigere sinistra iudicia, & sermones de factis aliorum.
20. Pulchrè hoc docuit S. Chrysostomus to. 4. hom. 16. in ep. Rom. *Quemadmodum, inquit, circumcidem Paulum cum vides ac sacrificantem, nõ propterea condemnas tanquam Iudaizantem, sed eo id ipsum maxime coronas, vt à Iudaismo alienum: ita cum vides desiderantem anathema esse, ne propterea turberis, sed ob hoc ipsum, illum maxime predicato, causam perdoctus, ob quam id vult. Nam nisi causam examinauerimus, & Heliã homicidam dicemus, & Abraham filij percussorem, itemque & Phinees & Petrum cædis rursus accusabimus, nec de ipsis solum Sanctis, sed & de ipso rerum vniuersarum Deo, quisquis regulam hanc minime obserauerit multa absurda suspicabitur. Vt ne igitur hoc accidat, hisce in omnibus & causam & consilium, & occasionem, & omnia factorum defensione à nobis susceptã, in vnum componentes, ita demum res ipsas examinemus.*
21. Et hom. 62. in Genes: *Ne temerè prætereamus ea qua in diuinis Scripturis sunt prodita, neque ea qua dicuntur à superficie salutemus, sed ingreffi ad ipsum profundum, cum diuitias qua ibi latent didicerimus, glorificemus Dominum nostrum qui cum tantã Sapientiã dispensat omnia. Nam si noluerimus mentem & causam omnium qua facta sunt exquirere, non solum hanc condemnabimus, quod cum Socero suo dormiuerit, sed & Abraham reprehendemus, vt puericidam animo factum, & Phinees vt gemini homicidij reum. Pergamus ad alia exempla.*
22. Sancta erat illa actio Abrahæ quam adhibuit, vt charissimum filium Isaac Domino immolaret, eã enim id consecutus est, vt audiret à Deo Gen. 22. v. 16. 17. 18. *Per memetipsum iuravi dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellæ cali, & velut arenam, que est in litore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum, & benedicentur in semine tuo (scilicet Christo, vt explicat Apostolus Galat. 3. v. 16.) omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. Vnde sequitur, actionem illam Abrahæ non fuisse scædatam vllò peccato, nam peccatum actionem inficiens, etiam in iusto, reddit immeritoriam, ad meritum enim requiritur, vt actio sit bona, bonum autem vt dicunt Theologi ex S. Dionysio c. 4. diu. nom. par. 4. est ex integra causa, malum autem ex singulis defectibus. Si quis tamen tali animo & curiositate vellet examinare hanc Abrahæ actionem, quali solet fratrum & Superiorum actiones inspicere & taxare, diceret, Abraham mentitum fuisse initio huius actionis, eò quòd Gen. 22. v. 5. dixit pueris, dicens secum ad sacrificandum Isaac: *Expectate hic cum asino, ego & puer illuc vsque properan-**

tes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos. Et tomen putabat (diceret Cenfor) eum se sacrificaturum, ideoque cum eo non rediturum. Ergo mentitus est dum ait: *reuertemur ad vos*: Ergo non fuit sincerus, æqui uocauit, promissit reditum, non exoluit. Non sic iudicandum est: defendit enim eum S. Paulus Hebr. 11. v. 19. *Fide obtulit Isaac, arbitrans quia & à mortuis suscitaretur, patens est Deus, ob promissionem scilicet sibi factam Gen. 21. 11. vt idem Apostolus ait: In Isaac vocabitur tibi semen. Vnde & Rom. 4. v. 18. de eo dicit Apost. In spem contra spem credidit. Dixit ergo se rediturum cum Isaac, sperans eum suscitatum iri à Deo post sacrificium perfectum illius. Sic Gen. 12. & 20. videtur mentitus Abraham dum dixit de vxore sua quod Soror sua esset. Ad quod respondet S. Thomas 2. 2. q. 110. a. 3. ad 3. In Sacra Scripturâ, vt Augustinus dicit l. demidac. c. 5. to. 4. inducuntur aliorum gesta, quæ exempla perfecta virtutis, de quibus non est estimandum eo fuisse mentis. Si qua tamen in eorum dicta suspicentur, que mendacia videntur, intelligendum est, ea figuratiter & prophetice dicta esse &c. hac ratione excusat S. Doctor varia facta veterum è S. Scriptura petita.*

In eodem Abraham censorium iudicium notare posset incontinentiam, quia duas vxores habuit. Atqui S. Augustinus to. 6. de bono coniugali c. 21. fin. citatus à S. Thoma 2. 2. q. 152. a. 4. ad 1. ait: *meritum continentie coniugali in Abrahamo equari merito continentia virginali in Ioanne.*

In eodem parcitas à censoribus notari potuisset, quòd Agar dimittens Dei iussu ex domo sua, vnã cum filio ex ea suscepto Ismael, idque primogenito, non plus dicitur ei dedisse viatici, quàm panem, & vitrem aquæ Gen. 21. v. 14. Quis vnquam, diceret Cenfor, ita extrudit vxorem, nunquam rediturum? & filium? & quidem vxorem, quæ ei diu ancillæ obuiit munus, digna erat salario bono. Adderet etiam aquæ parum dedisse, statim enim præ sibi cepit mori filius epotã aquã, & nisi Deus per Angelum succutrisset ostensã aquã, extinctus sibi fuisset. Sed certum est, non peccasse eum: qui enim etiam erga hospites adeo fuit liberalis, vt eos vitro accerferet, & festinanter parari iuderet cibos optimos, vt legimus Gen. 18. 6. & sequ. *Festinauit ad Saram, dixit: Accelera, tria sata simila commisce, fac submericios panes. Ipse vero ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerimum & optimum, dedit que puero, qui festinauit, & coxit illum, tulit quoque butyrum, & lac &c. qui cum suis tam hilariter & festinanter hospites tractabas, ideoque ob hospitalitatem Deo dicitur placuisse, & Angelos hospitio recepisse Heb. 13. 2. procul dubio dedisset plures commeatus Agar & Ismaeli, sed quòd non dederit, Dei voluntas fuit; non excusabat se, non dabat rationem sui facti, Sanctus tamen fuit, Deo charus fuit, perfectè*



fecit vixit, ideo meritis est, vt Deus inter sua nomina & titulos honorificos, ac Prophetæ, eius nomen reposuerit, toties ingeminante Scriptura: *Deus Abraham*: ideo dignus fuit, vt ad impetrandas res maximas Sancti eius nomen commemorarent inuocantes Deum. Sic fecit Moyses deprecans, vt Deus iratus parceret idololatri vitulum adorantibus. Exod. 32. 13. *Recordare Abraham &c.* Sed si Abraham Pater creditur censoria iudicia non effugit, multò minùs effugeret Sara vxor eius. Diceret eam fuisse crudelem, tyrannam, inuidam, zelotypiâ laborantem, quia post susceptum ex Abraham Isaacum, suasic Agar eiici è domo, cum filio Gen. 21. 9. cum tamen priùs videns se sterilem, suaserit Abraham vt ad prolem suscitandam, eam in coniugem ascisceret Gen. 16. 1. 2. 3. Diceret censor, non fuisse causam sufficientem expulsiõnis. Cur enim expelli suasic? *Quia vidit Ismael ludentem cum filio suo.* v. 9. Magna res, quòd pueri ludant: diceret censor, ex inuidiâ & auaritiâ instinctu id eam suassisse: probaret id eius dictis v. 10. *Eiice ancillam hanc & filium eius: non enim erit heres filius ancilla cum filio meo Isaac.* Non mirum si id censor diceret, nam & Abraham v. 11. durè hoc accepit, sed quia Deus ita suasic: *Non tibi videatur asperum super puero, & super ancillâ tuâ, omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius v. 12.*

Si Abraham censuram non effugisset, non effugeret & Iacob, adeò Deo charus, vt Laban eum insequenti Gen. 31. v. 24. dixit: *Cave ne quidquam asperè loquaris contra Iacob, vel vt est in hebr. Ne loquaris Iacob à bono vsque ad malum,* hoc est, ne quidem bonum loquaris, quod offendat eum; vel ne etiam bonum loquaris, ne inde, vt fit in progressu sermonis, ad loquendum malum deuoluaris. Hic inquam vir Deo charus etius etiam nomen Deus titulus suis adscripsit vocans se *Deum Iacob*, posset à Censore aliquo vocari mendax, & mendacio fratris primogenituræ ius & benedictionem præripuisse, siquidem se primogenitum & Esau appellauit Gen. 27. v. 19. *Ego sum primogenitus tuus Esau,* qui tamen mentitus non est authore S. Augustino, et si secundam carnem non fuit Esau, fuit tamen secundum ius acquisitum ab ipso Esau consentiente, Genes. 25. vers. 33. ei à Deo paratum Roman. 9. vers. 8. 11. Quo sensu S. Ioannes Baptista Elias à Christo Matth. 11. 14. appellatus est.

Ioseph etiam ille castissimus haberet quòd in eo lingua censoria damnaret, scilicet vanitatem, iactantiam, illusiones. An non vanitas est, diceret censor, quod suas visiones narraret palam Gen. 37. v. 7. *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consergere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum.* Quo audito en statim censores fratres habuit, qui responderunt ei: *Nunquid Rex noster eris aut subiciemur ditioni tuæ? Hac ergo causa*

*somniorum atque sermonum inuidiæ & odij somitem ministravit.* Postea cum narrasset visum aliud v. 9. *Vidi per somnium quasi solem & lunam, & stellas undecim adorare me.* Quod cum patri suo & fratribus retulisset, increpauit eum pater suus, & dixit: *Quid sibi vult hoc somnium quod vidistimum ego & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram? Inuidebant ei igitur fratres sui.* Postea vendito illo, procul dubio dixerunt, illusus est. Hoc enim colligere licet ex illis eorum verbis quæ dixerunt, dum de eo occidendo conferrent Gen. 37. v. 20. *Apparebit quid illi profint somnia sua.* Venditur ergo, in carceres conficitur, non apparet præuisa adoratio. O illusum. Sed Deus suo tempore ostendit veritatem visorum illius, & vt dicit de eo Spiritus S. Sap. 10. v. 14. *In vinculis (scilicet sapientia Dei) non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant, & mendaces ostendit, qui maculauerunt illum.*

Idem S. Ioseph potuisset vt ebriosus damnari, quia de eo Scriptura dicit Gen. 43. v. vlt. *Biberuntque scilicet fratres eius, & inebriati sunt eum eo.* Quod testimonium certius testimonio Scripturæ: ita nos sepe iudicamus temerè alios, moti alicuius viri grauis sermone non benè intellecto, cum in bonam partem accipi posset in malam accepto, quasi dicto contra nos, vel contra alios amicos nostros. O quam multa peccata contingunt hac ratione. Sicut autem vir bonus & prudens non condemnaret ebrietatis Iosephum, quia dicitur *inebriatus*, sed diceret, hoc verbo significari, potum solito copiosiore, sobrium tamen, & sensu quo Deut. 32. v. 42. dicitur *Inebriabo*, id est intingam, humectabo sagittas meas sanguine, & Psal. 35. 9. *Inebriabuntur ab ybertate domus tuæ: & Cant. 5. 1. Bibite & inebriamini charissimi.*

Maiores his Iob pati posset censuram de quo dicitur Iob 3. v. 1. & sequ. *Post hac aperuit Iob os suum & maledixit diei suo, & locutus est: Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo, dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine &c. Maledicant ei, qui maledicunt diei &c.* At tales maledictiones grauis culpæ speciem habent: ideo etiam irrationalibus creaturis absque peccato maledicti non posse docent Theologi cum S. Thoma 2. 2. q. 76. Ideo Brentius & Anabaptistæ & Thalmudici, accusant Iobum maledicentiæ & blasphemix. Alij tamen excusant à peccato S. Thomas tomo 13. lect. 1. in c. 3. Iob ait, eum hac maledictione nec optasse, nec imprecatum esse mala illi diei, sed tantum enunciasse, illum diem malum esse, non secundum suam naturam qua à Deo creatus est, sed secundum ea quæ in illo tempore aguntur, secundum illud Apostoli Eph. 5. *redimentes tempus quoniam dies mali sunt.* Idque Iobum dixisse non secundum rationem, sed secundum inferiorem partem

274



partem animæ, quæ ex illis malis tristitiâ affliciebatur & dolore. Qua ratione inquit Pineda sect. 6. in c. 3. Iob & Sanctius in comm. & Christus D. *tristitiam mortisque timorem* in sensitua parte expressit Matt. 27. 45. & vehementiam doloris, & internæ desolationis, cum clamans voce magna dixit Mar. 15. 34. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me.* Non est autem contra fortitudinem aut virtutem, dolorem & gemitum exprimeret, ut benè contra Stoicos apatriam laudantes & analgesiam, dicit Cicero 2. Tuscul. & Taurus Philosophus, apud Gellium l. 12. c. 5. *Vt enim apud Q. Curtium l. 6. ille ait: Suo iure liberior est in mutuas querelas dolor.* Et causam dat Philosophicam Aristoteles sect. 27. probl. cur qui dolent clamant. Deinde etiam si Iob ex iudicio rationis id dixisset, benè dixisset, ut sect. 7. ostendit Pineda, addens & probans sect. 8. Iobi querelas ex charitate in Deum esse profectas. Ita excusanda sunt omnia. Sic excusandus Ieremias qui hæc, & quidem Deo inspirante scripsit: c. 20. versu 14. 15. 16. 17. 18. *Maledicta dies in qua natus sum: dies, in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. Maledictus vir, qui annunciat Patri meo, dicens: Natus est tibi puer masculus: Sit homo ille, ut sunt ciuitates quas subuertit Dominus, & non penituit eum: audiat clamorem mane, & ululatum in tempore meridiano: qui non me interfecit à vulua, ut fieret mihi mater mea sepulchrum, & vulua eius conceptus aternus. Quare de vulua egressus sum, ut viderem laborem & dolorem, & consumerentur in confusione dies mei:* Hæc tamen verba excusantur & ab antiquis Authoribus, à Clemente Alexandrino l. 3. Strom. c. 8. & ab Origene l. 3. in Iob & in simili à S. Thoma 2. 2. q. 76. a. 2. ad 4.

## CAPVT QUARTVM.

*Discant temerariis iudiciis dediti, ex Dei dictis & factis non iudicare Dei seruos, quia in sanctissimis Dei factis & dictis, habent exempla dictorum & factorum Dei, quasi non scirent à Deo dicta & facta esse, malignè iniquo suo iudicio & lingua condemnarent similia dicta & facta bona Dei seruorum.*

30. **I**Ta nos decet verbis hominum (qui non possunt esse tam circumspetti, ut est Spiritus S. qui dictauit S. Scripturam) si quando videntur sonare aliquid quod offendere, vel nocere possit, bonum sensum tribuere & in bonam partem interpretari: sicut interpretari debemus res bonas in S. Scriptura descriptas: aliàs si ita procederemus ut solemus cum fratribus nostris, diceremus (quod absit) Deum esse mendacem, in promissis suis inconstantem, aliud promittentem, aliud facientem. Nam Gen. 46. v. 4. di-

xit proficiscenti Iacob in Ægyptum: *Ego inde adducam te reuertentem.* Et antea Gen. 28. 15. idem ei promiserat, tamen Iacob inde non est reuertus, sed ibi obiit Gen. 49. vlt. Sic olim Porphyrius teste S. Hieronymo l. 2. contra Pelagianos, Christum dicebat esse mentitum, quia Ioan. 7. v. 8. dixit: *Ego non ascendo ad diem festum hunc,* cum tamen ibidem v. 14. dicatur, *ascendisse.* Sicut ergo verba Dei, qui est infinite sapiens, & prudens, & ut loquar more nostro, consideratus & circumspectus in omnibus factis suis infinito modo, possent detorqueri in malam partem, etsi immeritò, quanto magis dicta hominum, qui nec tenentur, nec possunt esse tam perfecti uti est Deus. Ideo etsi videantur malè sonare, in bonum sensum couertantur. Est enim res hæc summopere necessaria in consuetu cum tot personis, tam sæpè distractis, tam occupatis. Vnde non sine causa S. P. Ignatius post præxum suis Exercitiis titulum, ante omnes meditationes hoc primo loco monitum posuit: *Soponendum est,* inquit, *Christianum vnumquemque pium, debere promptiore animo sententiam seu propositionem obscuram alterius in bonam trahere partem, quam damnare. Si verò nulla eam ratione tutari possit, exquirat dicentis mentem.* Si hoc monitum necessarium iudicauit S. Pater pro tempore Exercitiorum Spiritualium, quo solent esse tam is qui Exercitia dat, quam qui accipit, valde considerati, valde circumspetti, & valde propensi ad bona, & magis auersi à malis, quam antea: quanto magis est necessarium aliis temporibus, quibus non ita consideratè loquimur, & conuersamur.

Quod autem dico de non damnandis aliorum dictis temerè, idem dictum volo de non damnandis aliorum scriptis, siue illa sint epistolæ, siue res in scholis dictari solitæ, siue exercitationes literarum humaniorum: ut sunt carmina, orationes, epistolæ, compositiones, præfationes, dialogi, declamationes: nihil condemnemus temerè, non iudicemus, non damnemus iudicium, stylum, verba, phrasas, sententias, nexum, elocutionem, actionem, eruditionem, historias, & alia quæ damnata si resiciantur ab harum rerum authoribus ij valde offenduntur & perdunt religiosæ charitatis, ac mutæ benevolentix iucunditatem. Nam certissimum est, si quis velit malitiosus esse, potest omnia scripta etiam sanctissima taxare, ipsam quoque Scripturam.

Nam ut omittam Hæreticos, qui eam in malos sensus detorquent, & quandoque adeo acutè & apparenter, ut videatur pro his loqui. An non alia quoque Scripturæ materæ ea quibus nulla est inter tot Religionum diuersarum sectatores contentio, possunt à temerariis iudiciorum censura esse libere? Nequam. Vbiq; inueniet pruritus iudicij & linguæ malignæ quod carpat, v. g. 1. Reg. 7. v. 13. 14. dicitur: